

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia**

**Masius, Hector Gottfried  
Lintrup, Søren**

**[Hafn.], [1710]**

§V.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

testationes contra Concil. Trident. prolatas adducit Innocentius Gentilettus  
Jctus Delphionensis in Exam. Conc. Trident. lib. V.

(2) *Communem omnium querelam complectitur Espencus commentar. in Epist. ad Tit. cap. 1. p. 473. Factum est posterioribus seculis, ut quod merito in Concilio Basileensi Ludovicus Arelatensis querebatur, in Concilio id idem fiat, & necessario fiat, quod nationi placeat Italica, & qua sola Episcoporum, qui & ipsi soli vocem illic decisivam habent, numero nationes alias aequet aut superet, sicut scripsit lib. 1. de gestis ejus concilii Aeneas Sylvius nondum Pius. Hac est illa Helena, que nuper Tridenti obtinuit.*

§. V.

In ipso autem Concilio Tridentino multa esse contra libertatem Ecclesiae Gallicanae definita, adeo non diffitentur Galli, ut passim ea de re tanquam de injuria sibi illata conquerantur. (a) Atque haec causa fuit, cur publicam ejus receptionem in Gallia recusarint, licet saepius & serio eo nomine a Pontifice rogati fuissent. Neque vero in sola disciplina Ecclesiastica vel moribus pugna est, sed & in doctrina & fide, quod contra secus sentientes postea ostendam. (b)

(a) *Qui historiae Gallicae Scriptores evolvit, passim reperiet eas, de quibus dixi, querelas. Thuanus, Pleixis alique in hoc argumento satis proluxi sunt. Et in istis voluminibus, quae Parlamenti acta publica continent, haec quoque materia saepius occurrit; ne quid dicam de actis Cleri Gallicani, in quibus ea de re non poterat esse silentium. Nimis longum foret ea commemorare, quae legenti observata fuerunt.*

(b) *Ubi pugna est inter Concilii decreta & Ecclesiae Gallicanae libertates, Galli nonnunquam se jure divino & Scripturae dictis tuentur, nec dicere dubitant, pugnare illa decreta non tantum cum libertate Ecclesiae suae, sed & cum verbi divini auctoritate; at quod tale est, ultra se porriget quam ritus & consuetudo.*

§. VI.

Ceterum quam late pateat ille dissensus, Historiae Gallicae Scriptores memorant, quamvis in recensione capitum & in numero controversiarum paulum discrepent. Viginti duos articulos Thuanus adducit, in quibus aperta sit inter Concilium Tridentinum & Ecclesiam Gallicanam pugna; in quorum enu-

mera-